

1551 egregiam elevabat Gallicus , qui appellatur , morbus , a quo interdum impeditiebatur , ne exercere se , quantum opus erat , posset . Severinatem cum nonnihil adjuvaret inimicus in Gallos animus , a quibus Veronæ cum esset , custodiæ traditus per invidiam fuerat : alia multa premebant . Marco Antonio Columnæ adolescentia erat adversaria . Neque tamen defuerunt , qui tunc quoque uti alias , Gritto legato id imperium esse dandum existimarent , quod ea res neminem ex reipublicæ præfectis ladebat . Ex sententiæ cum nou semel in Senatu dictæ essent , a Joanne Medice Cardinali literæ Romæ datæ Patribus proposuerunt : si suis copiis præficere Joannem Paulum Balionem velint Perusinæ civitatis principem , magno in re militari nomine ; se curaturum ut is internuncios ad urbem suos mittat , quibus cum agere , quæ agenda erunt , Patres possint . quæ intellecta res magistratum controversiam diremit , pluresque in eam sententiam , quam in ullam aliam ierunt , ut Balioni præfecturam traderent . Ipse vero Lucius hæc vel prævidens futura , vel facta de amicis suis cognoscens , literas ad Patres dedit : senem se factum , minusque jam ad bellum munera & labores obeundos idoneum , quam antea fuerit : itaque cupere artem desinere , si per eos liceat , atque ad quietem se vitamque reliquam dare , petere ut liceat . Quam quidem ejus petitionem Patres opportune oblatam libentes acceperunt , honorificoque responso missum eum fecerunt . Milites Epirotæ quingenti , Veronæ qui erant , ab exercituque reipublicæ profugerant , stipendiis apud hostes fraudati , commeatuum egentes , omnia perpepsi mala , impetrata veniam ad Grittum redierunt .

Ferdinandus Hispaniæ rex ægre ferens Cardinales eos , de quibus supra dictum est , in illa concilii Pisæ agendi missa ad Julium denunciatione nomen suum adscripsisse , cum se ab illo adjuvari præ se tulissent , Julio per legatum suum confirmavit , Nullam se ad id voluntatis suæ partem adhibuisse , nulla omnino se in re cum illis consensisse : quod si Julius eum in primis , qui Hispanus esset , dignitate illa & sacer-

*Jo. Paullus
Balio Vene-
tarum co-
piarum im-
perator.*

*Ferdinandus
ad Julium
legatio.*